



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S. Th. quondam
Louanij Professoris Tractatvs De Sigillo Confessionis
Sacramentalis**

Malderen, Jan van

Antverpiæ

Capvt VII. An quando negatur absolutio defectu propositi non abstinendi
aut prendi in necessariis, teneatur nihilominùs Confessarius ad Secretum
seu Sigillum Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41093

etiam absoluendus, si aliquo modo probabilis sit opinio ipsius pœnitentis, qua putet sibi non incumbere ullam obligationem huius reuelationis facienda aut concedenda hic & nunc, cum istiusmodi suis, quæ verisimiliter timet, incommodis; de quibus prudenter Pœnitentiarius iudicabit. Quod obtinet etiam, quando est liquidum licere: sufficit, probabile esse non teneri. Cùm autem consensus extortus non sit pro consensu habendus, ut supra diximus, videat Confessorius, ne vtatur consensu pœnitentis, quando eum indebet coëgit, nolens absoluere nisi det sibi licentiam peccatum reuelandi.

CAPVT VII.

An quando negatur absolutio defectu propositi non abstinendi aut parendi in necessariis, teneatur nihilominus Confessorius ad Secretum seu Sigillum Confessionis.

RESPONDEO, omnino certum esse quod nihilominus teneatur ad hoc Secretum, etiamsi deficiat pœnitens, non faciendo quod debet in ipsa relaxatione obligationis huius Secreti. Quod extendo etiam ad casum quo induxit pœnitens Confessorium ad audiendam suam Confessionem

D 5 sub

sub hac pollicitatione expressa , quod stabit
 eius mandatis, ipsiusq; iustissimum sit man-
 datum quo iniungit reuelationem istius Se-
 creti . Ratio est, quia suprema lex Secreti
 huius manet intacta , vt pote diuino Sigillo
 seuerissimè sancta , nisi specialis & explici-
 tus consensus adsit pœnitentis de hac reue-
 latione ; quo fiat , vt secundum dicta iam
 censeatur etiam hoc peccatum ut homo sci-
 re , non tantum ut Deus , per Sacramental-
 em Confessionem . Est communis senten-
 tia omnium Doctorum, quod ad obligatio-
 nem Sigilli sufficiat Confessio facta in or-
 dine ad Claves, aut Sacramentalis ; etiamsi
 dispositio aliqua requisita ad absolutionem
 desit , & nominatim etiamsi desit proposi-
 tum non peccandi de cetero, aut adsit pro-
 positum continuandi peccatum . Recte enim
 dicit Adrianus in 4. non esse totam ratio-
 nem Sigilli, quod Deus presumatur remit-
 tendo peccatum tegere , cum etiam com-
 plicis peccatum, ut infrà Cap. xvii. dicetur,

*Cōfessi im-
 pœnitentis
 etiam pec-
 catum ce-
 landum.*

sub Sigillum cadat ; & etiam impœniten-
 tium peccata , vel eorum qui consilium so-
 lum à Confessore exquirunt , sigillentur.
 Semper enim hoc videndum & cauendum,
 ne detectione eorum quæ in Cōfessione di-
 cta sunt, Confessio fiat odiosa . Cuius doctri-
 næ veritas magis patebit sequenti Capite.

CAPVT